

20 hoc quid sit? omnes quī amant graviter sibi dari uxorem
ferunt.

DA. ita aiunt. *SI.* tum siquis magistrum cepit ad eam rem
inprobum,

ipsum animum aegrotum ad deteriore[m] partem plerumque
adplicat.

DA. non hercle intellego. *SI.* non? hem. *DA.* non:
Davo' sum, non Oedipus.

SI. nempe ergo aperte vis quae restant me loqui? *DA.* 195
sane quidem.

25 *SI.* si sensero hodie quicquam in his te nuptiis
fallaciae conari quo fiant minus,
aut velle in eā re ostendi quam sis callidus,
verberibu' caesum te in pistrinum, Dave, dedam usque ad
necem,

eā lege atque omine ut, si te inde exemerim, ego pro te 200
molam.

30 quid, hoc intellexti[n]? an nondum etiam ne hoc quidem?

DA. immo callide:

ita aperte ipsam rem modo locutu's, nil circum itione usus es.

SI. ubivis faciliu' passu' sim quam in hac re me deludier.

DA. bona verba, quaeso! *SI.* inrides? nil me falli'. sed
dico tibi:

ne temere facias; neque tu haud dicas tibi non praedictum: 205
cave!

Enīmvero, Dave, nil locist segnitiae neque socordiae,
quantum intellexi modo senis sententiam de nuptiis:

